

EPISTULA LEONINA

LXX

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM (70) !

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdē gaudeo, quod mihi nunc tandem licet Tibi offerre Epistulam Leoninam septuagesimam. At eheu quantum doleo, quod interrupta est series Epistularum spatio haud brevi. Cara Lectrix, care lector, excusatum habeas editorem cramben illam repetentem, de quo Iuvenalis dicit in saturae septimae versu 154: »occidit miseros crambe repetita magistros.«

Hac in Epistulâ septuagesimâ tibi praebeo duas res extraordinarias - et modernam et veterem: primo loco invenies res recentes recentissimasve Latinê denominatas, altero Grimmianam fabellam in Latinum conversam. Utinam utraque lectio sit tibi et usui et fructui.

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat


Nicolaus Groß
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Solis, 09. m.Mart. a.2014



**ΔΟΣ ΜΟΙ ΠΑ ΣΤΩ
ΚΑΙ ΤΑ ΓΑΝ ΚΙΝΑΣΩ**

**DA MIHI UBI CONSISTAM
ET TERRAM MOVEBO.**

**ARCHIMEDES
285-212 a.Chr.n.**

Archimedes non scripsit dialecto Atticâ (quam in schola solemus discere, si quidem discimus linguam palaeograecam), sed Doricâ.

»NOVIS REBUS NOVA NOMINA«

Cicero dixit novis rebus nova nomina esse imponenda. Erasmus affirmavit suâ aetate exstare mille res, de quibus Cicero ne somnio quidem cogitasset. At hodie – babae! - quot res exstant ipsi Erasco omnino ignotae? Perpauculas tantum hōc loco possumus proponere res modernas Latinē denominatas: unam post aliam. In Sinico enim proverbio est iter milies millenorum quoque passuum incohari gradu primo. Horatius autem dicit: »Dimidium facti qui coepit habet«. Sed nonnulli iam gradūs facti sunt ab aliis Latinitatem vivam colentibus. Ergo iam facta est pars dimidia! Bono animo pergamus.

airbag; Prallkissen: pulvīnus allīsiōnis

aircraft hijacker: abductor aërius

aircraft hijacking: abductiō aëria

airplane: *aeróplanum, -ī n. *cfr hydro-, bombo-, aulo-, auto-.*

atomic power station: *ēlectrificīna atómica/nucleāris.

bicycle, bike: *bírota, -ae f. - *mountain bike:* *bírota montāna

bomber: *bombóplanum, -ī n.

browser: *lēctrum *interrētiāle

“bug”(covert listening device); Abhörgerät, “Wanze”: *cryptacustron, -ī n.

car; Auto: *autocīnētum, -ī n.

caricature: gryllus, -ī m.

CD (compact disc) discus compactus

chat: *diálogō, -āre

chatroom: *dialogēum, -ī n.

childminder; Tagesmutter: paedagōga diurna

children in day care; (Ganz)tageskind: parvulus *panēmérius

chromosome; Chromosom: *chrōmosōma, -atis n.

cinema: *cīnēmatēum, -ī n.

clone (noun): *clōn, clōnis m.

clone (verb): *clōnō, -āre

computer: *computātrum, -ī n.

computer game: lūsus *computātrālis

crossing over: dēcussātiō *chrōmosōmatica

cruise missile; Marschflugkörper, “Flügelrakete”: missile automatum, ruchēta ālāta

cyber mobbing: mōlestātiō *interrētiālis

day hospital: *hēmerocomīum, -ī n.

day nursery: Kindertagesstätte; *hēmerotrophēum, -ī n.

digital: digitālis, -e

digital demency: dēmentia digitālis.

digital projector; “Beamer” (pseudo-anglicismus): *proiectrum digitāle

display: *visificium, -ī n.

DNA (= deoxyribonucleic acid); DNS (=Desoxyribonucleinsäure):

ácidum *dysoxyribonucleīnicum

download: *dēcarricō, -āre

DVD (digital video disc/ digital versatile disc): discus versātilis

electric: *ēlectricus, -a, -um

electric current: fluentum *ēlectricum

electron; Elektron: *ēlectronium, -ī n.

electronic: *ēelectronicus, -a, -um

e-mail: epistolium *ēelectronicum

e-mail address: īnscriptiō *ēlectronica

file: *datētum, -ī n. (*cfr sepulchrētum*)

fire works; Feuerwerk: *pyrotechnēma, -atis n.

fuse (electrical): *asphalistrōn, -ī n. (ēlectricum)

hang glide (verb) *deltáplanō, -āre

hang glider (aircraft) *deltáplanum, -ī n.

hang glider (human) *deltaplanīga, -ae m.

hang gliding: *deltaplanātiō, -ōnis f.

hardware: partēs (*computātrī) māchinālēs

hospital; Klinik, Krankenhaus: *nosocomīum, -ī n.; **psychiatric ~, psychiatrische/s ~:**

*psȳchocomīum, -ī n.;

insemination, artificial ~; künstliche Befruchtung: *īnsēminātio artificiālis

internet: *interrēte, -is n.

internet//: *interrētiālis, -e

i-pad: cōdīcillus *ēelectronicus

Italo-western, “spaghetti-western”: *hippodrāma Italiānum, Italiānum *cīnēma *revolucrāle.

v. *western*.

jet: *pyraulóplanum, -ī n.

lap top: *computātrum mōbile.

malware: *prōgrāmmata nocīva

mobile phone; “Handy” (pseudo-anglicismus): *tēlephōnum mōbile.

motorcycle; Motorrad: autobírota, -ae f.

movie; Film: cīnēma, -atis n.

multi-touch-screen; Bildschirm mit Mehrfingergestenerkennung: *vīsificium *multitāctile

nuclear: *nucleāris, -e

nuclear waste: pūrgāmenta *nucleāria; πυρηνικά απόβλητα

nuclear waste repository, final ~; stockage m final des déchets radioactifs; almacen final (de residuos radiactivos); deposito finale di scorie radioattive; Atommüllendlager: fināle *pūrgāmentārium *nucleāre

password: sīgnāculum, -ī n. (*computātrāle)

phishing: inēscātiō signaculōrum

power station: *ēlectrificīna, -ae f.

program: prōgrāmma, -atis n.

proton; Proton: *prōtónium, -ī n.

radio; Radio: *radiophōnum, -ī n.

railroad; Eisenbahn: *ferrívia, -ae f.

railroad engineer; Lokführer: *hamaxista, -ae m.

railway engine: hamáxa, -ae f.

railway engine driver: *hamaxista, -ae m.

revolver: *revolūcrum, -ī n.

rocket; Rakete: +ruchēta, -ae f.

scanner: *scandībulum, -ī n.

screen; Bildschirm: *vīsifīcium, -ii n.

seaplane: *hydróplanum, -ī n.

skype; skopen: *scopophōnō, -āre

smart phone: *sophophōnum, -ī n.

software: partēs (*computātrī) *programmāticeae

spy; Spion: speculātor, -ōris m.

spy ware: progrāmmata *speculātōria

stem cell; Stammzelle: céllula primōrdiālis

strike: *operistítium, -ī n.

terrorism; Terrorismus: *tromocrátia, -ae f.

terrorist ; Terrorist: *tromócratēs, -ae m.

terroristic; terroristisch: *tromocráticus, -a, -um

touchscreen: *vīsifīcium tāctile

trojan horse: equus Troiānus (*computātrālis);

TV: *tēlevīsōrium, -ī n.

twitter: frigúttiō, -īre.

UAV (unmanned aerial vehicle); Drohne: *autóplanum, -ī n.

video camera: camera *magnētoscópica

video clip: *cīnēmatium *magnētoscópicum

video recorder: *magnētophōnum, -ī n.

webcam: (phōto)cámera *interrētiālis

website: situs *interretialis

webzine: periódicum *interrētiāle

western movie: *cīnēma *revolucrāle; *hippocīnēma, -atis n.

cfr retropedia.de wortgeschichte: Pferdeoper (angl. horse opera).

whistleblower: revēlātor, -ōris m. (cfr verbum catalanicum: http://ca.wikipedia.org/wiki/Revelador_d'informació).

HAEC VOCABULA LATINA ALIA EXCERPSIT ALIA CONFINXIT

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>



Recitator

Fabula romanica
quam theodiscê scripsit

Bernhard Schlink

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoriâ, quae appellatur

LEO LATINUS

Senden in oppido Bavariæ Suebicæ
a. 2012

Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM

Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !

FABULA GRIMMIANA

DE ARBORE IUNIPERO



Tempore pervetusto - nescio an factum sit ante duo ferê milia annorum - vixit quidam vir dives, cui fuit uxor pia et pulchra. Qui inter se valdê amabant, sed liberos non habebant. Cum optarent, ut liberi sibi sint, mulier die noctuque multum orabat; at tamen nullos accipiebant. Ante eorum domum erat aula, in qua stabat arbor iuniperus. Sub eâ aliquando mulier hieme stabat málum deglubens, et cum málum deglubebat, digitum insecurit, ut sanguis in nivem destillaret. Mulier altê gemens et sanguinem aspectans animo flebili: »Eheu,« inquit »utinam haberem parvulum, qui esset rubore sanguineo et candore niveo.« Haec autem dicens subito exhilarata est: Optatum sibi visum est expletum iri. Deinde domum iit, et mense transacto nix tabuit; post duos autem menses omnia coeperunt virescere; post tres menses flores e terrâ erupuerunt; et post quattuor menses omnes arbores materiam fuderunt, et rami virides omnes inter se coaluerant. Tum aviculae cantaverunt, ut tota silva resonaret, et flores de arboribus deciderunt, quintus iam mensis erat transactus, et mulier semper stabat sub arbore iunipero, quae tam pulchrê fragraret. Nunc cor mulieris gaudio exsiluit, ea in genu procubuit nec poterat, quin laetaretur. Sexto autem mense transacto fructûs coeperunt crescere atque crassescere, et ea facta est perquam tranquilla. Septimo autem mense, ea bacas iuniperi apprehensas cupidê comêtit; tum facta est tristis atque aegrota. Tum praetereunte mense octavo mulier marito advocato lacrimans: »Si mortua ero« inquit »sepeli me sub arbore iunipero.« Tum bono animo gavisa est, usque dum exiret mensis nonus: tum infantem peperit, qui fuit candore niveo et rubore

sanguineo, et cum hoc vidisset, tam vehementer gavisa est, ut moreretur.



Tum maritus eam sepelivit sub arbore iunipero, et coepit vehementer lacrimare; aliquanto autem post lacrimae lentius iam fluxerunt, et aliquanto cum lacrimavisset, desiit, et iterum mulierem in matrimonium duxit.

Alterā cum uxore habuit filiam; infans autem a primā uxore partus erat filiolus, qui fuit rubore sanguineo et candore niveo. Cum mater filiam aspectabat, eam peramabat; at deinde cum puerulum aspectabat, toto ex corde indignabatur, et is novercae videbatur ubicumque esse impedimento, et deinde semper deliberabat, quomodo fieri posset, ut mariti possessa omnia attribueret filiae suae, et diabolus mentem ei dabat, ut odium susciperet in puerulum eumque ex uno angulo pelleret in alterum, eiusque latus hīc et illīc offensaret et fodicaret, ut miser parvulus semper timeret. Cum e scholā venerat, nullum inveniebat locum, ubi quies sibi concederetur.

Aliquando mulier in conclave ascenderat; tum filiola quoque ascendit et: »Mater« inquit »da mihi mâlum!« - »Dabo tibi, mea filia,« mulier dixit illique dedit mâlum pulchrum e cistâ sumptum; quae cista instructa erat magno operculo ponderoso, cui inerat acre claustrum ferreum. Filiola: »Mater,« inquit, »nonne oportet frater etiam mâlum accipiat?« Quare mulier indignata est, sed dixit: »Dabo illi, cum e scholā venerit.« Puer autem per fenestram aspecto mulier tamquam a diabolo obsessa filiae mâlum abstulit et: »Tu« inquit »ne prius id habeas quam frater tuus«. Deinde mâlum cistae iniecit eamque clausit. Tum parvulus per ianuam intravit; tum diabolus mulieri mentem dedit, ut puer diceret: »Mi fili, vin' accipere mâlum?« illumque aspiceret vultu iracundo. Parvulus:


»Mamma« inquit, »quid me aspicis tam atrociter! Ita facias, des mihi mâlum!« - Tum mulier sibi visa est debere illum adhortari. »Veni mecum« inquit operculum aperiens, »exime mâlum!« Parvulus autem cum caput in cistam demisisset, diabolo suadente - tax! – operculum raptim clausit, ut caput amputatum decideret inter mâla rubra. Tum timore perfusa cogitavit: »Utinam istam rem auferam a me!« Tum descendit in conclave suum ad armarium, e cuius forulo ductili supremo exemit pannum album, capite pueri cum in collum reposuisset, taeniam collo ita circumligavit, ut vulnus obtegeretur, puerumque ianuae praeposuit in sellâ mâlumque eiusdem manui indidit.

Deinde Marlenula ad matrem vénit in coquinam. Quae stabat ad ignem et ante se habebat ollam, cui inerat aqua fervida, quam semper peragitabat. »Mamma« Marlenula inquit, »frater sedet ante ianuam facie pallidissimâ et manu tenet mâlum. Rogavi eum, ut mihi mâlum daret, sed ille non respondit; itaque formidavi«. - »Adi illum iterum« inquit, »si tibi non responderit, duc illi alapam«. Tum Marlenula illum adiit et dixit: »Mi frater, da mihi mâlum!« At ille tacuit; tum soror illi alapam duxit. Tum caput decidit; quare puella territa coepit flere atque clamare et ad matrem cucurrit et: »Eheu Mamma« inquit, »decidi caput fratris mei« neque flere desinebat neque sedata est. »Marlenula« mater inquit, »quid fecisti! At tace, ne quis hanc rem animadvertis; cum eadem mutari non iam possit, illum cum aceto coquamus«. Tum mater parvulum sumptum in partes discidit, quas ollae indidit et cum aceto coxit. At Marlenula adstans flebat et flebat et lacrimae omnes ollae cum inciderent, non iam erat necesse salem addere.

Tum pater domum reversus ad mensam sedens dixit: »Ubinam est filius meus?« Tum mater apposuit patinam magnam, magnam, cui inerat ius nigrum¹, et Marlenula flebat et flebat nec poterat sibi temperare, ne fleret. Tum pater iterum dixit: »Ubinam est filius meus?« - »Ah« mater inquit, »qui rus profectus est, ad cognatos matris suae; voluit aliquantis per ibi manere«. - »Quidnam ibi facturus est? Mihi ne valedixit quidem!« - »Oh, perquam libenter voluerat illuc ire meque rogaverat, ut sibi liceret manere per sex ferê septimanas; scilicet ibi bene servetur«. - »Eheu« vir inquit, »admodum tristis sum; haud recte ille fecit, quod mihi non valedixit«. Hôc dicto comedere coepit et: »Marlenula« inquit, »quid fles? Frater tuus certe reveniet« - »Ah uxor« inquit, »quam bene sapit cena! Da plus!« Et quo plura comedederat, eo plura cupiebat et dicebat: »Date mihi plura, ne quid recondatis, haec mihi videntur tota esse mea«. Et pater edebat et

¹ ius nigrum, orig. (dialecto Germaniae inferioris) *Swattsuer* sive *Swartsuur*, i.e. *theodisco sermone normato Schwarzsauer*. Est iusculum ex sanguine et carunculis suillis et aceto confectum, vetus cibus Germaniae borealis, interim iam pridem obsoletus. Similis esse videtur famoso illi iuri nigro Lacedaemoniorum ($\muέλας \zeta\omegaμός$). cfr //de.wikipedia.org/wiki/Schwarzsauer et <http://de.wikipedia.org/wiki/Blutsuppe>. cfr Georges, Kleines Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch, s.v. Suppe: <http://www.zeno.org/Georges-1910/K/Georges-1910-01-2256>: «Suppe, sorbitio. – schwarze S. (der Spartaner) ius nigrum».

edebat, et ossa omnia iaciebat sub mensam, usque dum omnia comederat. Marlenula autem iit ad armarium suum et ex eius forulo ductili infimo exemit optimum sui pannum sericeum et omnia cruscula et ossicula sub mensâ collegit eaque panno sericeo involuta secum foras portavit lacrimas fundens sanguineas. Foris illa supposuit arbore iunipero in graminibus viridibus, et cum illa ibidem deposuisset, animo subito levato puella flere desiit. Tum iuniperus coepit se movere, eiusque rami vicissim coniungebantur et disiungebantur, quasi quis toto ex corde gaudens manûs compulsaret.



Et nebula ex arbore emissâ est, et mediâ in nebulâ ignis flagravit, et ex igne evolavit avis quaedam pulchra, quae cantavit magnificè et sursum

volavit in aera, et cum evasisset, iuniperus fuit talis qualis fuerat antea, et pannus, cui ossa involuta erant, erat ablatus.

Marlenula autem animo erat tam levi hilarique, quasi frater adhuc viveret. Tum domum iit perquam laeta et ad mensam consedit et comēdit. Avis autem avolavit et consedit in domo cuiusdam aurificis et coepit cantare:

»Mater me mactavit,
pater manducavit,
sed sororcula Marlenula
quaesivit omnia ossicula,
involvit panno serico,
supposuit iunipero.
Kiwitt, kiwitt, avis pulchrior me non sit!«

Aurifex autem in officinâ suâ sedebat catenam auream fabricans, cum avem audivit in tecto sedentem cantumque êdentem, qui sibi placuit valdê. Tum idem faber surrexit et limen ianuae transiens amisit calceum domesticum. Qui ibat per medium viam uno tantum calceo domestico unoque socco induto; praecinctorio praecincto, unâ manu tenebat catenam auream, alterâ forcipem; necnon sol viam illustrabat lucidissimê. Tum constitit et avem aspectabat. »Avis« inquit, »quam pulchrê cantas! Iterum cantes!« - »Non cantabo« avis inquit, »bis non canto gratis. Da mihi catenam auream, ut cantem tibi iterum.« - »En accipe« aurifex inquit, »catenam auream; nunc iterum canta!« Tum avis vînit catenamque auream comprehendit ungue dextro, consedit ante aurificem et cantavit: »Mater me mactavit, pater manducavit, sed sororcula Marlenula quaesivit omnia ossicula, involvit panno serico, supposuit iunipero. Kiwitt, kiwitt, avis pulchrior me non sit!«

Tum avis avolavit ad sutorem et consedit in eius tecto et cantavit: »Mater me mactavit, pater manducavit, sed sororcula Marlenula quaesivit omnia ossicula, involvit panno serico, supposuit iunipero. Kiwitt, kiwitt, avis pulchrior me non sit!«

His auditis sutor amiculi expers foras cucurrit et ad tectum suspexit et non potuit, quin oculos manu obtegeret, ne sole obcaecaretur. »Avis« inquit, »quam pulchrê cantas!« Tum per ianuam intro vocavit: »Heus uxor, exi foras: ecce avis; en aspice avem, quae cantat tam pulchrê.« Deinde filiam quoque advocavit et liberos et socios et tirones et ancillas, et omnes venerunt in viam et spectaverunt avis quam pulchra esset; quae erat pennis rubris viridibusque tam pulchris, collôque merê aureo, et oculis stellarum similibus »Heus avis« sutor inquit, »nunc cantilenam iterum canta!« - »Non« avis inquit, »non bis canto gratis, oportet mihi dones aliquid.« - »Uxor« vir inquit, »i ad granarium, in plutei tabulâ

supremâ stat par calceorum rubrorum, quod, quaeso, afferas !« Tum uxor eo iit calceosque attulit. »En avis« vir inquit, »habeas, nunc iterum canta canticum !« Tum avis vînit et calceis ungue sinistro comprehensis ad tectum revolavit et cantavit:

»Mater me mactavit,
pater manducavit,
sed sororcula Marlenula
quaesivit omnia ossicula,
involvit panno serico,
supposuit iunipero.

Kiwitt, kiwitt, avis pulchrior me non sit!«

Cum cantare desiisset, avolavit; catenam autem ungue tenebat dextro, calceos sinistro, et procul avolavit, usque ad molinam, et molina operabatur sonans: *Klippe klappe, klippe klappe, klippe klappe*. In molinâ autem sedebant viginti socii molinarii, qui pulsabant lapidem et concidebant: *Hick hack, hick hack, hick hack*; et molina operabatur sonans *klippe klappe, klippe klappe, klippe klappe*. Tum avis consedit in tiliâ, quae stabat ante molinam, et cantavit: »Mater me mactavit,« tum aliqui molinarius desiit; »pater manducabat«, tum desierunt duo alii et auscultaverunt; »sororcula Marlenula« tum desierunt alii quattuor; »quaesivit omnia ossicula, involvit panno serico« nunc octo tantum conciderunt; »supposuit«, nunc quinque tantum; »iunipero« – nunc unus tantum; »Kiwitt, kiwitt, avis pulchrior me non sit!« Tum ultimus quoque desiit, qui modo ultimam audivit partem. »Avis« is inquit, »quam pulchrê cantas ! Sine me quoque hoc audire, canta mihi hoc iterum!« - »Non,« avis inquit, »non bis canto gratis; da mihi lapidem molarem, ut iterum hoc cantem.« - »Si quidem« ille inquit, »hic lapis nemini esset nisi mihi, tibi darem.« - »Si illa« ceteri inquunt, »iterum cantaverit, habeat lapidem.« Tum vînit avis et molinarii omnes viginti vectibus lapidem sustulerunt, »hu uh uhp, hu uh uhp, hu uh uhp!« Tum avis collum foramini inseruit lapidemque tamquam collare collo circumdedit et in arborem revolavit et cantavit:

»Mater me mactavit,
pater manducavit,
sed sororcula Marlenula
quaesivit omnia ossicula,
involvit panno serico,
supposuit iunipero.

Kiwitt, kiwitt, avis pulchrior me non sit!«

Cum cantare desiisset, âlas dispandit, et ungue dextro tenebat catenam, sinistro calceos, collo circumdatum lapidem molarem, et procul volavit ad domum patris sui.

In conclavi ad mensam sedebant pater et mater et Marlenula, et pater dixit: »Ah, quantum allevor, quam bono sum animo«. - »Equidem nequaquam«, mater inquit, »bene me habeo, perquam angor, tam vehementer, quasi immineat tempestas gravissima«. Marlenula autem sedens flebat et flebat. Tum avis advolavit et, cum in tecto consedisset, pater: »Ah«, inquit »quantum gaudeo, quam pulchrê sol splendet, quasi revisurus sim vetustum familiarem!« - »Nequaquam«, mulier inquit, »equidem timeo, dentes mei strident et videor mihi esse vénis igneis«. Et vestem discidit, ut animam reciperet. At Marlenula in angulo sedens flebat, et encombomate oculis praecincto lacrimis encomboma totum umidabat. Tum avis consedit in iunipero et cantavit: »Mater me mactavit«, - Tum mater clausas tenuit aures oculosque compressit neque voluit videre neque audire, sed in auribus matri fremere visa est tempestas vehementissima, oculi ei ardebant et coruscabant instar fulgurum. »Pater manducavit«, - »Ah mater«, vir inquit, »ibi est avis pulchra, quae cantat tam magnificê et sol splendet tam calidê, et aer fragrat purum cinnamomum«. »Sororcula Marlenula«, - Tum Marlenula caput imposuit genibus nec desiit flere. Vir autem dixit: »Exibo foras; non possum quin illam avem spectem e propinquuo«. - »Eheu, noli exire«, inquit mulier, »videtur mihi tremere tota domus et flammis incensa esse«. At vir exiit avemque aspectavit - »quaesivit omnia ossicula, involvit panno serico, supposuit iunipero. *Kiwitt, kiwitt*, avis pulchrior me non sit!«.

Deinde avis ita amisit catenam auream, ut ipsi viri collo circumdaretur, formâ tam aptâ, ut pulcherrimê ad eum quadraret. Tum intravit et dixit: »Ecce, quam pulchra sit avis illa, quae mihi donavit catenam auream tam pulchram et est aspectu tam pulchro«. Mulier autem tam vehementer territa est, ut in conclavi delaberetur eiusque pileus decideret. Tum avis iterum cantavit: »Mater me mactavit« - »Eheu me miseram, utinam sub terrâ essem, in profunditate mille tensarum², ne istud audirem!« - »Pater manducavit« - Tum mulier collapsa est tamquam mortua. »Sororcula Marlenula« - »Ah«, Marlenula inquit, »velim foras exire, video, num avis mihi aliquid donet?« Tum ea exiit. »Quaesivit omnia ossicula, involvit panno serico« - Tum avis deiécit calceos. »Supposuit iunipero. *Kiwitt, kiwitt*, avis pulchrior me non sit!«

Tum puella allevata gavisa est. Novis calceis rubris indutis saltavit et in domum insiluit. »Ah« inquit, »quam tristis fueram exiens, sed nunc tam

² +tensa, -ae f. orig. *Klafte*. cfr fr. *toise*. Ne confundatur cum verbo antiquo, quod est « tensa, -ae f. » et significat currum divinum. cfr Mauthner, Wörterbuch der Philosophie, s.v. messen:

<http://www.zeno.org/Mauthner-1923/A/messen?hl=th%25%5Be%4%5Dh%25n{1;2}s{1;2}ah%25>:

„Der Meridianquadrant mußte doch zunächst einmal nach dem alten Maßstabe gemessen werden; dieser war die *Toise* (aus Lat. *tensa*), die *Klafte* (alle diese Worte wohl Lehnübersetzungen von griechisch, *orgyia* von *oregein*) also die Entfernung zwischen den Fingerspitzen der weit auseinander gestreckten Arme eines erwachsenen Menschen“.

hilaris sum. En illam avem magnificam, quae mihi donaverit par calceorum rubrorum!«. - »Nequaquam«, mulier inquit prosiliens, capillis tamquam flammis igneis horrentibus, »totus mundus mihi videtur interire; ego quoque volo foras exire, ut allevetur animus meus«. At ianuâ relictâ, -, *bratsch!* - avis in mulieris caput deiécit lapidem molarem, ut illa contunderetur tota. His auditis pater atque Marlenula foras exierunt. Tum vapor et flammae et ignis e loco emissi sunt, et his finitis ibi constitit parvus frater, idemque manus dedit patri Marlenulaeque et omnes tres hilarissimi in domum redierunt et ad mensam conserderunt et comedérunt.


* * * **FINIS** * * *

**FABELLAM GRIMMIANAM
QUAE INSCRIBITUR
«VON DEM MACHANELBOOM»
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS**



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>



PHILIPPUS OTTO RUNGE (1777-1810)

Qui pictor ingeniosus dialecto Germaniae inferioris scripsit fabellas, quibus tituli sunt „*Van den Machandelboom*“ (De arbore iunipero) et „*Van de Fischer und siine Fru*“ (De pescatore eiusque uxore”) easdemque misit fratribus Iacobo Vilelmoque Grimm divulgandas.

Ecce textūs originalis dialecto Germaniae inferioris scripti verba initialia:

„**VAN DEN MACHANDELBOOM.** „*Dat is nu all lang her, woll twee dusend Joor, do was daar een rijk Mann, de hadde eene schöne frame Fru, un se hadden sick beede sehr leef, hadden averst keene Kinner, se wünschten sick averst seer welke, un de Fru bedt so veel dorum Dag un Nacht, man se kregen keen un kregen keen. Vör eeren Huse was een Hoff, darup stund een Machandelboom, ünner den stund de Fru eens in'n Winter, und schellt sick eenen Appel:...“*

DE RAPTORE
HOTREN PLOTRI

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

Otfried Preußler

in Latinum convertit

Nikolaus Groß



Editio prima
in domo editoria, quae appellatur
LEO LATINUS

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae
completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24
(viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et
directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae
appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM

**HANC EPISTULAM LEONINAM
SEPTUAGESIMAM**

EL 70

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT

d. Solis, 09.m.Mart. a.2014

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



[**http://www.leolatinus.com/**](http://www.leolatinus.com/)